



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

10 Quanto tempore præscribatur Ius Patronatus, (.i. Ius præsentandi ad beneficium) & beneficium ipsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

foramen obstruat, & tu per 10. annos non utaris tuo iure, perdis ius tuum. Similiter si habes ius ne ille alius atollat, vel propius ædificet, non amittis ius nisi ille contra faciat; & tu post illud factum, 10. annis præfens fileas, requiritur autem ut ille nesciat ius tuum, & bona fide agat. Habentur hæc omnia expressè d. L. Hæc autem iura. 7. de seruit. urban. prædiorum. Vide Siluest. verbo Præscriptio 1. q. 7. §. Undecimò. Molinam disp. 70. Couarr. lib. 1. variar. cap. 17.

DUBITATIO X.

Quanto tempore præscribatur ius Patronatus (i. ius præsentandi ad beneficium) & beneficium ipsum.

31 DE hoc Couarr. reg. Possessor. p. 2. §. 10.

Dico Primò, Si constet Ecclesiam olim fuisse liberam, ius Patronatus à laico præscribi nequit. Est communis sententia DD.

Ratio est; quia hoc ius est spirituale. Hæc ratio tamen non videtur firma. cum enim laicus sit capax huius iuris, cur ex possessione à tempore immemorabili non debet præsumi iusto titulo concessum? sed bene probat non præscribi absque titulo, nisi tempore immemorabili: quia præsumptio iuris illi resistit. amplius conuincere non videtur.

Dico Secundò, Ius Patronatus etiam in Ecclesia parochiali, de qua dubium est an olim libera fuerit, potest præscribi à parochianis 40. annis cum titulo; tempore immemorabili, absque titulo: imò etiam annis 40. absque titulo.

Prior pars patet, quia cum titulo colorato vel præsumptio possunt præscribi à laico bona immobilia & iura (ut feudum & emphyteusis) contra Ecclesiam; cur non etiam ius Patronatus, quod est minoris momenti? Nec præsumptio iuris est contra ipsos; cum credibile sit ipsos esse fundatores illius Ecclesie, quando de alio non constat. Altera probatur, quia ex possessione huius iuris per tempus immemorabile, præsumitur iustus titulus in parochianis. Addo, etiam absque titulo posse ipsos spatio 40. annorum hoc ius præscribere; quia neque ius commune, neque male fidei præsumptio illis obstitit, ut colligitur ex Couarr. loco citato. Idem docet Molina disputat. 75. §. Merito tamen.

32 Dico Tertio, Ius nominandi Rectorem aut Prælatum in Ecclesia collegiata vel cathedrali, præscribi non potest à laico contra ipsam Ecclesiam, nisi annis 40. cum titulo, aut tempore immemorabili absque titulo. Ratio est, quia ius commune repugnat. unde est vehemens præsumptio usurpationis & male fidei. Nam iure communi istorum debet fieri electio, quæ pertinet ad Capitulum; nisi Patronus, qui Ecclesiam ædificauit aut dotauit, id sibi cum consensu Episcopi tamquam ex pacto reseruasset, ut patet cap. Messana. 56. de electione. Quia tamen non est incapax talis iuris, (potuit enim competere maioribus eius vel ex pacto in fundatione cum Episcopo inito, vel ex privilegio Pontificis) potest illud præscribere 40. annis cum titulo colorato, (ut si concessum fuisset in-

ualidè ob excommunicationem, vel alia de causa) vel absque titulo tempore immemorabili. Tam diuturna enim possessio huius iuris, & usus absque contradictione frequentatus, tollit præsumptionem male fidei, & inducit titulum præsumptum. vide Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. ubi declaratur quomodo hæc iura sint examinanda & probanda. Hoc modo multi Principes præscriperunt in maioribus beneficiis Ius Patronatus.

Dico Quarto, In Ecclesia non libera, ius Patronatus à laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato decem annis inter præfentes, 20. inter absentes: sine titulo annis 30. Est sententia communis DD. teste Couarr. Patet, quia est eadem ratio quæ bonorum immobilium, & iurium contra priuatum; ut feudi, emphyteusis, quæ simili modo præscriptione acquiritur. Non enim hic agitur contra Ecclesiam, sed contra priuatum.

Dico Quintò, Beneficium Ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præfentes, vicennio inter absentes, sicut alia iura, quæ bonis immobilibus annumerantur. est communis sententia. Sine titulo non potest præscribi, quia non potest nisi institutione Canonica acquiri eius possessio.

Dico Sexto, Qui pacificè aliquod beneficium absque simoniaco ingressu triennium possedit, præscribit contra actionem cuiusvis imperitoris. patet ex regula Cancellariæ 33.

Sed difficultas est, vtrum hæc possessio bona fide cum titulo colorato & absque simonia per triennium continuata, præscribit proprietatem beneficii, ita ut possessior postea non teneatur illud resignare? Couarr. tenet non præscribere: itaque beneficium in foro conscientie esse dimitendum, simul atque constiterit collationem non fuisse validam.

Verum Nauarr. l. 3. consil. 40. & 41. de præbendis, post Couarr. & alios, tenet contrarium, cum glossa antiqua in regulas Cancell. & Rebuffo, qui affirmat ita iudicari in Parlamento Gallie. Estque rationi valdè consentaneum. cum enim Pontifex post triennium nemini amplius concedat actionem ad illud beneficium, videtur possessorem reddere etiam securum in conscientia, si bona fide cum titulo possedit: tamquam qui triennali vtiuptione fecerit suum; in qua sententia etiam est Emanuel Sà, & alij quidam recentiores.

DUBITATIO XI.

Quanto tempore præscribantur debita, actiones, hypotheca, legata, fideicommissa, & maioratus.

Dico Primò, Debita rerum mobilium & immobilium præscribuntur cum bona fide debita annis 30. contra creditores: & excluditur actio ad ea petenda. est communis sententia ex L. Sicut in rem. 3. C. de præscript. 30. & 40. annorum, ubi dicitur, nec actiones reales, nec personales ultra 30. annorum spatium prosequendæ. & infra: omnes